

sub schemate prodeat; Et si nostratum quispiam, puriori in reliquis doctrinae addictus, hanc conversionem Judaeorum aliquid habere verisimilitudinis pronuntiavit, illud non sine formidine oppositi fecisse, atque, nemini ut obtruderet sententiam, operam dedisse. Nihil vero plane esse, quod illam sententiam in nostro oraculo fulciat, haud difficulter adsequetur, quisquis illud in timore Domini penitus nobiscum est ingressurus.

III.

Non universam Epistolam ad Romanos hic retexemus: Sufficiet dixisse cum Luthero, scopum esse Apostoli, ut nos edoceat, omnibus hominibus unicam esse datam salutis viam, nimirum fidem solam in meritum Christi, quod aperte conspicitur ex *C. III.* ubi inter reliqua argumenta etiam hoc praecipue urget, quod nec Judaei nec gentiles ad operum merita provocare possint. In utrorumque gratiam *C. IV.* exemplum Abrahami ob oculos ponit, tanquam Patris spiritualis omnium credentium, & carnalis Judaeorum, eumque per solam fidem justificatum & salvatum fuisse, demonstrat: Atque sic ad fructus uberrimos, ex illa fide justificante oriundos, depingendos & exaggerandos se confert *C. VI. VII. VIII.* Nono itaque capite regreditur ad Judaeos, & dolet vehementer eos viam ab Abrahamo tritam non prosequi, sed potius ex praerogativa, quam antea prae gentilibus habuerint, fuisse excusos ob pertinacem contemptum Salvatoris. *v. 1. 2. 3. 4. 5.* Neque tamen ideo, quod poterat objici, verbi divini promissionibus quicquam decedere ostendit Apostolus, quandoquidem etiam si ex illa praerogativa ejeti sint Judaei, & recepti gentiles, factique filii promissionis, *v. 6. - 9.* nihilominus etiam Judaeis, perinde ut gentilibus, viam ad conversionem & salutem apertam esse. Hoc tamen soli DEI misericordiae, neutiquam vero meritis hominum